

36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

28. 30
DISPUTATIO POLITICA
De
MUTATIONUM
IN REBUS PUBLICIS
CAUSIS ET REMEDIIS,

Quam
Rege Regum & dominantium Domino
omniumq; Imperiorum datore, statore,
translatore
clementissimè adgubernante.

Amplissima Facultatis Philosophicae Senatus
in Academia Electorali Guttulanâ
adprobante.

Sub PRÆSIDIO
VIRI Clarissimi atq; Doctissimi,
M. MOSIS REPPERBERG!
Silesii, J. U. C.

publica eruditorum censura offert
MAXIMILIANUS de SCHLIEBEN,
Nob. Marchic.
A. & R.

Ad d. 3. Septembr. in Acroaterio
Philosophorum Majori
examinandam.



Typis NICOLAI KOCHI, Academ.
Typographi.
ANNO M. DC. LI.

DISPUTATIO POLITICA

MUTATIONUM

IN REBUS PUBLICIS

CAUSIS ET REMEDIIS

de

Re Regni & dominantium Dominio

omniumque Imperiorum daretur, hanc

translatore

clarentissimè ad gubernantem

Magistram Facultatis Philosophicæ

in Academia Libera Göttingensi

habuit

SUB PRÆSIDIO

VIRI Christiani et Doctissimi

M. MOSES REGER

Phil. J. L. C.

publicæ institutionis et hanc officio

M. XIMILIANUS DE SCHILLEREN

Nob. Mænicæ

A. & R.

Abd. 3. Septembris. in Academia

Philosophicæ Göttingensi

examini habuit

Typographi Koenig, Academ.

Typographia

ANNO M. DC. LXX.



IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

Quam brevibus circumscripta sit carceribus vita hominum, quam angustis terminis ipsa tantæ multitudinis vivacitas concludatur, luculenter exprimit, nervosè miseratur vates, quando canit:

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.
Quod animo & memoriâ pensitantibus nobis, nō potest nō humanæ fragilitatis miseratio oboriri. Xerxes sanè in Græciâducens, cum ingentem oculis obiret exercitum, ac tot hominū milibus tam brevem imminere occasum recordaretur, tenere lachrymas nequivit. Quas, ut dedecere Regem videri poterat, non veniâ solūm, sed & laude dignas magni judicii vir Plinius judicavit. Ast quam complorationem florentissimorum imperiorum, opulentissimorum regnorum, maximarum Rerumpublicarum ruinis deberi putabimus? Certè corneâ sit oportet fibrâ, qui sine teneriore pectoris motu, qui cum indolentiâ illas cogitaverit. Nam Marcellus & victor & hostis Syracusas captas incendio conflagrantes sic coccus non spectavit. Silentii involvam Sipario quod prævisum Christo Hierosolymitanum excidium lachrymas exciverit. Et nos sinè animi motu, sinè humano

affectu talia spectemus, legamus, audiamus.
Ego, ut verum fatear, nec sine dolore motus,
calamitates, excidia potentissimarum civita-
tum percipio, nec sine admiratione. Quæ in-
primis me stimulat, ut causas, si pote scrutari,
mutationum talium & internecionum ingredi-
ar cum Poetâ vetere quæsiturus,

Cedo qui vestram Rempublicam tantam amisistis
tam cito. Cic. in Cat. Major ex Nævio.

Ad quod accessurus, DE LIM, qui transfert &
confert imperia, in auxilium voco.

THESIS I.

Quemadmodum cuncta mortalium fluxa
& instabilia, (a) ita imperia quoque; vel maxi-
ma (b) vicissitudini (-) & exitio obnoxia.

(a) Sanxit hoc in magni Imperatoris Tiberii ore veritas,
qui ingestum sapius a populo patris patriæ nomen repudiavit,
neque jurari in acta sua quancquam censente Senatu permisit;
Cuncta mortalium incerta dictitans *Tac. i. Annal.* (b) Imò
ea maximè quæ maxima. Nulla enim Imperia majores mo-
tus, aut casus graviores sentiunt, quàm quæ sunt florentissima
Bodin. lib. 4. de Republ. c. 1. Et Tiberius agnoscit, dum arduum
vocat & subjectum fortunæ regendi cuncta onus *Tac. i. Annal.*
Quantoque plus adeptus foret tantò se magis in lubrico profite-
tur *Tac. ib.* Idque satis historiæ loquuntur. Etenim quod flo-
rentius Assyriorum regno? ubi hodie? vix memoria durat.
Quod potentius Romanorum imperio? vix umbra relicta.
Quod potentius Græcorum? vix duodecim annis stetit. Quod
latius Rhamsis Ægyptii, quem exercitu septingentorum mil-
lium Lybiâ, Æthiopiâ, Medisq; & Persis, & Bactriano ac Scy-
thiâ potitum, quasque terras Suri Armeniique; & contigui Cap-
padoes

padoces colunt, indè Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse refert *Tac. 2. Annal.* Quotus quisq; hodiè nomen didicit? Verè igitur id unum venenum ea labes civitatibus opulentis reperta, ut magna imperia mortalia essent *Livius lib. 2.* (c) In ipso ortu singulis rebus ista lex posita est, ad modum undè prodierunt recidere. Nec hominibus tantùm & animalibus sua ætas est, sed & regnis, quæ tam mortalia esse necesse est, quàm eos, qui fecerunt. *Lips. 1. de constit. Pol. Waremund. ab Ehrenberg. in medit. am. profæder. c. 1.*

Th. II.

Vicissitudinis hujus & exitii causas (a) scrutari, ut medicinam admoveere queat, ad civilis sapientiæ munus quàm maximè pertinet. (b)

(a) Meritò hic quoq; felix, qui potuit rerum cognoscere causas *Virg.* Nam si scimus, inquit *Arist. 5. Polit. 8.* per quæ Respublicæ corrumpuntur, scimus etiam, per quæ conservantur. Ideoq; *Lucret. lib. 3.* rectè curari affectus animi negat. Propterea causas morbi quia non tenet æger. (b) Politici est, non tantùm Reip. bonum procurare, sed etiam malum, quâ potest prudentiâ avertere. *Vernulej. lib. 4. Instit. Polit. tit. 1. c. 1.*

Th. III.

Non tamen his causis naturalem imperiorum declinationem, quæ vetustati solet tribui, adnumeramus.

Falsò sibi Tiberius persuadet Rempublicam æternam esse. *Tacit. 3. Annal.* & ante hunc *Cic. orat. pro Marcell.* Hic enim naturæ fluentis torrens alterum alterius consequens esse declarat, ut quæcunq; orientur, etiamsi seculis innumerabilibus steterint, aliquandò tamen aborientur. *Bodin. 4. de Rep. c. 7.* Satis id æterna hæc Tiberii declarat Respublica, quæ dudum ità desiit, ut vix vestigia tantæ magnitudinis appareant. Sed quemadmodum mors ea tolerabilior judicatur, quæ post diuturnam ac placidam senectutem sensim irrepsit, ita quoq; Reip. conversionem vel occasum judicamus naturæ con-

A 3

gruen-

gruentem, quam post infinita ferè secula fieri necesse est *Bodin. l. cit.* Quamquam si rationes curiosius putemus, maxima quæq; imperia suapte gravitate & pondere, alia verò armis civilibus, nonnulla popularibus morbis, pleraq; hostium impetu, quædam vi divinâ momento subvertantur: pauca vetustate caduca fatiscant, suaq; senectute tabescant. *Bodin. l. cit.* & in hac ipsâ aliàs proximiores animadvertere est causas. Illam igitur mittimus, ne crispante ilia cachinno nos aliquis excipiat, sicut *Arist.* Platonem insectatur, quòd optimæ suæ Reip. nullam aliam interitus causam adsignasset: quàm quod nihil in statu suo maneret 5. *Polit. c. ult.* secundum illud:

Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec se cognoscunt terræ vertentibus annis
Exutas variam faciem per secula gentes.

Manil. lib. 1. Astronom.

Th. IV.

Verùm mutationem, quæ senium anteveneri solet, morboq; adsimulatur, attendimus.

Mutatio accidit, aut quandò aliqua Resp. vel in bonam, vel malam diversæ speciei abit, vel quandò totus tollitur status. Illa conversio, hæc Eversio aliàs indigitatur. Eversio accidit, cum urbs aliqua cum formâ Reip. deletur, sicut *Sugambri* olim in *Britanniâ* excisi, quemadmodum etiam *Silurum* nomen penitus extingvendum censebat *Imperator Romanus* apud *Tac. 12. Annal.* & *Judæi* cum *Hierosolymis*, cujus cladis initium tradit. *Tac. 5. hist.* Nam cuncti in servitutem redacti, qui pro nullis habentur *l. 32. de Reg. Jur.* Exempla passim *Livius* suppeditat. Eversioni quoq; accensetur, quandò Resp. aliqua in *Anarchiam* degenerat, hanc confusionem Reip. in quâ Imperantium & parentium discrimen sublatum est, dicit *Arist. 5. Polit. c. 3.* & *Plutarch. in vit. Pyrrh.* ceu in *Mamaluchorum* imperio aliquot per annos *Jov. lib. 17.* & *Abusahite* Rege *Fessarum* mortuo populus annos octo sinè Regibus miserrimâ conditione vixit, ex *Leon. Afr. Bodin. 4. de Rep. c. 1.* Conversio Reip. fit, quandò forma una in aliam mutatur, Ejusmodi conversionum species sex esse putat *Bodin.*

l. cit.

l. cit. quod tres sint Reip. species, quarum singule in duas reliquas abire possint. Verum alii duodecim conversionum dari species arbitrantur.

Th. V.

A veris autem mutationum & turbationum causis, quæ ad Politici disquisitionem pertinent, occasiones segregamus.

Non sine ulu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quibus magnarum sæpè rerum motus oriuntur *Tac. 4. Annal.* Nam ex levisimis rebus sæpè conturbantur, neq; raro evertuntur Respublicæ. Non pro parvis rebus sed ex parvis ad magna proveniunt. Maxime enim parvæ corroborantur, quando in principalibus fiunt *Arist. 5. Polit.* Ardeates diduxerat in partes puella, quam plebejus & patritius simul ambibant, cum utriq; sui adgregarentur ad internecionem, prope inde discordiæ ortæ adduxerant *Liv. lib. 4.* Eodem modo Syracusæ ex amatoriâ causâ duorum adolescentum in partes divisæ. Et apud Hæstiam ex contentione duorum fratrum de hæreditate ambigentium. Unus enim eorum, qui erat pauperior, quod non exhibente altero fratre bona omnia neq; thesaurum, quem pater invenerat proferente querebatur, ac populum in suos favores protraxerat, alter verò, qui divitiis pollebat, locupletes sibi adsciverat *Arist. 5. Polit. c. 4.* Delphis verò, cum sponsus ob triste augurium sponsam repudiaret & puellæ parentes spreti indignationem conceperunt sponsoq; sacrificante injecerunt quiddam, atq; ut sacrilegi instar pleteretur fecerunt, unde seditionum principium. Mytilenæ quoq; seditio ex hæreditate coorta magnor. malorum fuit origo, indeq; bellum Atheniensibus contra Mytilenæos susceptum, in quo urbs eorum à Pachete duce capta est. Timophane enim quodam opulento homine vitâ functo cum duæ filie superstites fuissent, Doxandrus quidam dari illas filiis in matrimonium concupivit, quod cum assequi non posset, alios sibi prælatos dolens res novas moliri aggressus Atheniensibus, quibus erat publicè hospes, bellum suspicere persuasit

Arist.

Arist. 5. Polit. c. 4. Inter Trojanos & Rutulos confixus sagittâ cervus Thyrridæ pueri formâ præstanti & cornibus ingens.

prima malorum

Causa fuit, belloq; animos accendit agrestes

Virg. lib. 7. Æneid.

Apri caput Ætolos & Arcadas bello commisit. Scotos Piætosq; ereptus canis. Atq; ex id genus & aliis levioribus occasionibus magnum sæpè incendium conflatum est, quæ tamen, quia totam vim effectus in se non continent, pro veris causis non numerantur. Ab istis tamen principiis cavendum est diligenter, ac dissolvendæ statim sunt eorum discordiæ, qui multum in Republ. possunt. In principio enim peccatur, principium autem dicitur esse dimidium totius, itaq; parvum in principio erratum correspondens est ad alias partes.

Arist. 5. Polit. 4.

Th. VI.

Neq; aut numeris Platonis, (a) aut Fato, (b) aut astris (c) aut magnis Planetarum conjunctionibus (d) inter has locus à Politicis relinquitur.

(a) Torfit ingenia veterum Platonis numerus, cuius ratio cum erui non quiret, aut quid voluerit divinus ille Plato assequi, abiit in proverbii consuetudinem, ut rem inexplicabilem Platonis numero obscuriorem dicamus. Variè sanè & multis *Macrob. lib. 1. c. 6. & seqq. in Somnio Scipion.* de illo agit, nec minus eruditè eum enodat. *Forster. lib. 1. Histor. Jur. Roman. c. 1. Bodinus* verò sibi rem acu tangere videtur *lib. 4. c. 1.* Verum numero vim efficiendi tribui non posse satis notum, cum quantitas nullam habeat efficaciam. (b) Fatum ad hanc fermè sententiam Chrysippus stoicæ princeps Philosophiæ definit. Fatum est, inquit, sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum & catenâ volvens semetipsam sese & implicans per æternos consequentiæ ordines ex quibus aptè connexa est. *Gell. lib. 6. N. A. c. 2.* Quâ fati catenâ Homerus quovæ Jovi manus adstringit, ut si velit maximè, filio nequeat opem ferre; Fato jus concedit in omnia mortalia *Seneca lib.*

2. Qu.

Qu. nat. c. 36. Idemq; fatum nihil aliud esse, quàm seriem im-
plexam causarum tradit *lib. 4. de benef. c. 7.* Id quod nos,
ut Christiani, rejicimus ex sacris edocti oraculis & fatum Deo
parere & homini suas actiones. Qui tamen per fatum di-
vinam intelligit providentiam, linguam mutet, mentem reti-
neat. *Augustin. lib. 5. de civitat. Dei. c. 1.* Quis enim nega-
verit Dei nutu imperia dari, regna transferri, si legat illud
1. Sam. 15. Deus regnum tuum tibi ademit; & *1. Reg. 11.*
Salomoni dicitur, quia non servasti pactum meum, scindam
regnum tuum & servo tuo dabo. Nec nescii hujus rei fuere
gentiles. Nam Marcus Antoninus ad Verum Collegam scri-
psit de Cassio. Si divinitus ipsi debetur imperium, non poterim-
us ipsum interficere, etiamsi velim; scis enim proavi tui di-
ctum, Successorem suum nullus occidit, quàm voce jam antea
T. Vespasianum usum. *Sueton. in ejus vit. refert.* Dum insi-
diatores suos admoneret, desisterent decipulis agere: si fato
ipsis deberetur imperium se iis adjumento futurum *Arnif. lib. 2,*
doctrin. Polit. c. 2. Sed hanc causam Politicus Theologo lucu-
lentius explicandam relinquit: ille enim non nisi ex arte suâ
causas adsignat. [c] Non sanè fas omnem aspernari Astrolo-
giam, ceu Romæ sæpius factam atrociam de Mathematicis Ita-
liâ pellendis Senatusconsulta *Tac. 2. Ann.* Qui etiam in jure
maleficis accensentur. *C. de malefic. & Mathem. & l. 2. c. eod.*
Inpp. rescribunt. Ars Mathematica damnabilis est & in-
terdicta omninò. Neq; tamen nimium illi tribuere fas est,
quod faciunt, qui cunctas Rerum publicarum mutationes ex
astris derivant. Illud quidem largimur prævideri aliquan-
dò posse ex astris. Indicio est præfagium Tiberii de Servio
Galbâ tum consule, quem accitum & diversis sermonibus at-
tentatum, postremò græcis verbis in hanc sententiam allocu-
tus. Et tu Galba quandoq; degustabis Imperium. Seram
ac brevem potentiam significans scientiâ Chaldæorum artis,
cujus apiscendæ otium apud Rhodum Magistrum Thrasul-
lum habuit. *Tacit. 6. Ann.* Isq; ipse genitalis horæ positus si-
derum ac spatia dimensus deprehendit ambiguum sibi ac pro-
pè ultimum discrimen instare. Ejusdem Thrasulli filius Ne-
ronis imperium prædixit. *Tacit. ibid.* Hâc freti scientiâ pe-
riti

riti cœlestium iis motibus siderum excessisse Româ Tiberium,
ut reditus illi negaretur ferebant. *Tacit. 4. Ann.* Vespasianus
quoq; suos sibi filios successuros inde didicit *Svetonius.* Hu-
jus artis clara documenta antiqva ætas & nostra tulit. *Tacit.*
6. Annal. Cæterum agere in voluntates & actiones homi-
num astra & gubernare eas nemo nobis persuadebit. (d) Idem
esto de magnis Planetarum conjunctionibus judicium, ad
quos nonnulli vicissitudines imperiorum & mutationes refe-
runt, ut Petrus Alliacus, nam licet eluviones, pestes, & alia
mala Ptolomæo producant, nihil tamen ipsis in Rerum publi-
carum mutationes juris permittitur. *Bodin. 4. de Rep. 1.*

Th. VII.

Excentricitatem (a) quoq; Copernici, &
Cardani stellam, (b) & Cometas (c) & Eccli-
pses (d) inter causas has prudentiores non ferunt.

(a) Alii hanc ipsam mutationum in Imperiis Regnisq;
causam à motuum cœlestium ratione novisq; Copernici spe-
culationibus deducunt. Existimant enim omnes Monarchi-
as omniaq; Regna & cœpisse & adaueta esse cum centrum ex-
centrici in aliquo insigni loco parvi circuli fuit, in cujus cir-
cumferentiâ ab ortu in occasum centrum excentrici move-
tur. Sic cum Solis maxima esset excentricitas Romanum
imperium ad monarchiam declinasse; & quemadmodum illa
decrevit, ita & hoc, tanquam consenescens, defecisse inferunt.
Sic cum centrum dicti excentrici solis perveniret ad quadran-
tem terminumq; mediocrem, lata est lex Mahometica & aliud
magnum imperium exortum, quod velocissimè ad motus ra-
tionem crevit. Jam itaq; in centum annis, cum minima fu-
tura est excentricitas, hoc quoq; imperium perficiet absol-
vetq; periodum, ut jam circum ista tempora in summo sit fa-
stigio, à quo æqvè velociter Deo volente ruet *Val. Forst. lib. 1.:*
hist. Jur. Rom. Sed præterquam quod triplex ille motus terræ
falsò & contrà principia à Copernico affingitur, constat ex
hypothesi Copernici motum illum esse regularem & certum,
Rerum publicarum verò mutationes adeò incertas, ut multæ,
priusquam caput extulerint, in ipsâ herbâ perierint, Arnisaus
lib.

lib. 2. Polit. c. 2. Bodin. lib. 4. c. 1. Quod nos accuratius ex-
cutiendum Astronomis relinquimus.

(b) Nihilò sanior est, Hieronymus Cardanus, qui,
ut abdita & retrusa subtilius, quàm cæteri, tractaret & admira-
bilitatem sui apud imperitos earum rerum excitaret, maxi-
marum civitatum ac imperiorum origines & incrementa du-
xit ab eâ stellâ, quæ extremam caudam Helices occupat, quam
urbi Romæ nascenti verticalem fuisse tradit: Indè Roma-
num Imperium Constantinopolim, post in Galliam, hinc in
Germaniam ejusdem stellæ beneficio deducit *Bodin. 4. de Rep.*
c. 1. Val. Forst. l. 1. Hist. Jur. Rom. c. 2.

[c] Parem in Imperia potestatem Cometis nonnulli
adscribunt, quam vulgi opinionem dicit *Tacit. 14. Ann.* Equi-
dem non negaverim plerumq; mali aliquid portendere ge-
neri hominum: cum nunquam impunè visum canat *Poëta:*

Ignota obscuræ viderunt sydera noctes

Ardentemq; polum flammis cœloq; volantes

Obliquas per inane faces crinemq; timendi

Sideris, & terris mutantem regna Cometen.

Lucan. lib. 1. Pharsal.

Indeq; terrificum magnâ ex parte sidus ac non leviter pi-
atum bello civili inter Cæsarem & Pompejum & ante tu-
multum Octavii & Cinnæ & circâ veneficium, quo Claudi-
us Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deindè prin-
cipatu ejus assiduum propè ac sævum, *Plin. lib. 2. Hist. nat.*
c. 25. Cometes ut fulsit, statim super Burin & Helicen mare
fuit *Senec. lib. 2. qu. nat. c. 51.* Igitur belli mala signa Cometen
etiam indigitat *Tibull. lib. 2. el. 5.* Bella tamen & mutationes
Rerum publicarum nunquam ut causa significare potest Co-
meta, cum ceu reliqua meteora naturales habeat causas.

(d) Statos enim habent ortus & sæpissimè ubi nulla mu-
tatio facta, Non tamen prorsus susq; deq; habendæ, cum
ipse Christus ultimi judicii indices esse voluerit, & aliàs
quoq; de imminentibus admoneant cladibus homines, cum
civile bellum glisceret.

Phœbe toto fratrem cum redderet orbe,

Terrarum, subita percussa expalluit umbra,

Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo.
Condidit ardentem atrâ caligine currus
Involvitq; orbem tenebris gentesq; coëgit
Desperare diem qualem fugiente per orbem
Sole Thyestæ noctem duxere Mycenæ.

Lucan. lib. 1, Pharsal.

Et extinctum Cæsarem secuta Eclypsis, teste *Virg. lib. 1. Georg.*

— — Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam cœcos instare tumultus
Sæpè monet fraudemq; & operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam
Cum caput obscurâ nitidum ferrugine textit
Impiaq; æternam timuerunt secula noctem.

Cum etiam Æmilius pugnam pararet in Macedonas, pridie quam bellum confereretur, luna defecit, triste id ostentum Perseo omnibus præsagentibus finemq; Macedonici regni portendi vaticinantibus. *Justin. lib. 34. Liv. lib. 4. dec. 5.* Defectus solis Carthaginensibus, Agathocle credente, vel ut eventus docuit, ipsi Agathocli ejusq; exercitui cladem prædixit. *Justin. lib. 22.* Lunæ v. defectio mortem Augusti & seditionem Pannonicarum legionum insecuta est. Quam tamen in bonum versam illâq; tumultum ingentem sopitum docet. *Tacit. 1. Annal.* Siquidem verò ipsi gentiles pro ostentis & portentis non veris causis hæc omnia habuere, neq; nos illa Respublicas ut causas posse mutare credimus.

Th. IIX.

Proximæ ac Politicæ mutationum causæ sunt vel (a) externæ, (b) vel internæ. (c) Internæ causæ vel per fallaciam, (d) vel spontè & cum gratiâ tam parentium, quam imperantium Rempublicam mutant, (e) vel per vim internam. (f)

(a) Am-

(a) Amplectitur ponitq; hanc divisionem *Aristot. 1. Polit. c. 7.* Dissolvuntur, ait, verò cunctæ Respublicæ interdum per se ipsas, interdum per externam causam. Cui ad stipulatur vox Annibalis. Nullamagna Civitas diu consistere potest, si foris hostem non habet, domi invenit. *Liv. lib. 30.*

(b) De externis nimirum bellis agere nostri nunc non est instituti, sed ad internas prævertimur.

(c) Quas ità dicimus, quia in medio Reip. sinu nascuntur, & in illius perniciem erumpunt.

(d) Quando universo populo ejusmodi officiiis os sublinitur, ut quod fit, fieri non sentiat. Quam fallaciam *Aristoteles* sophisma vocat, *Tacitus* Arcana, *Livius* artes. Coguntur enim magistratus aliquando cives, ceu Medici pueros & furiosos vel mente captos dissimulanter & per fallaciam curare, cum aliàs, si apertè ageretur, medicinam admittari non essent. Fallacia autem illa vel bona vel mala.

(e) Spontè fit mutatio vel per deditionem, vel per indulgentiam eorum, qui ad gubernacula Reip. sedent, eamq; in manu habent. Deditionis exempla suppeditat *Livius*, quando *Collatinos lib. 1.* *Campanos lib. 7.* in ditionem Rom. cessisse testatur. Per indulgentiam rarerè adeò convertuntur Respubl. ut unicui tantum *Aristoteli* veniat in mentem exemplum, ubi persuaderi potuit alicui, ut regio loco cederet. *Arist. 4. Polit. c. 11.* Quippè vetus ac insita mortalibus potentia libido *Tacit. 2. Hist.* Et cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior, *Tacit. 15. Annal.* Cum regnum sit res inter Deos hominesq; pulcherrima. *Liv. lib. 2.* Hiero sanè Siciliae Rex, cum supremis propinquaret, filii ingenium præceps in omnia vitia cernens voluisse dicitur Syracusas liberare relinquare. Huic tamen consilio summâ ope filia obstiteret. Nam *Andronodorum* evocatum ablegatis *Demarata* uxor filia *Hieronis* inflata adhuc regiis animis ac muliebri spiritu admonet sæpè usurpatæ *Dyonisii Tyranni* vocis, quâ pedibus tractum non insidentem equo relinquare Tyrannidem dixerit debere. Facile esse momento quo quis velit cedere possessione summæ fortunæ facere ac para-

re eam difficile atq; arduum esse *Liv. lib. 4. dec. 3.* Pari illectus summæ fortunæ imperandiq; dulcedine Cosmus Medices, neq; spem principatûs apiscendi dimittere, quam seriò hortante matre Salviatâ & periculorum admonente voluit: neq; animum inducere potuit, ut adepto cederet loco principe, quod avunculus cupiebat. Enimverò Cosmo svadere cœpit Salviatus, ut abdicato principatu honestissimo inter cives loco contentus esse vellet, qui ei maximè gloriosus atq; tutissimus foret in liberâ civitate suis legibus vivere florereq; solitâ *Paul. Jov. lib. 38. p. 170.* Reperitus tamen est apud Lacedæmonios. Theopompus Rex, qui potestatem regiam, addendo Ephoros minuere non recusavit. *Arist. 5. Polit. c. 11.* Ac superiore seculo optimates Senensii Reip. summum imperium populo communi consensu dederunt. *Bodin. 4. de Rep. c. 1.* Gelonis Imoræi quoq; indulgentia regius periit status, qui devictis Carthaginensibus & totâ Sicilia in forum processit nudus, dixitq; se civibus suis principatum ἀποδιδόναι *Ælian. lib. 6. variar. Camer. 4. Polit. c. 11.*

(f) Per vim deniq; mutatur, quandò in ipsis Reip. visceribus gliscit discordia, ex quâ seditio existit haud dubiæ civitatis perituræ argumentum aut à seipsâ, aut per vim externam. Nam quandò Seleucensium plebs & optimates discordant, dum sibi quisq; contrâ æmulos subsidium vocant accitus in partem Parthus adversum omnes valescit. *Tacit. 6. Annal.* Cum duo fratres Thraciæ de regno contenderent, Philippus, cujus arbitrio lis permessa erat, instructo exercitu non ad iudicium, sed bellum veniens, utrumq; vitâ & regno spoliavit & sibi imperium asseruit. *Justin. lib. 8.* Quamobrem cum tam pernitiôsa sit discordia hæc & seditio, ejus causas investigare, ut medendi rationem condiscamus, adnitemur, earum verò plures in genere enarrat *Arist. lib. 5. Polit. c. 2. & 3.* quas ordine prosequemur.

Thesis IX.

Honores (a) nimii in unū (b) vel paucos collati, reliquis denegati (c) conturbare solent Remp.

[a] Ho-

[a] Honos ut bonis & strenuis, qui pauci, debeat, ab omnibus tamen affectatur & vel inertibus malisq;. Quem ubi negari sibi, aliis dari vident, invident: insita mortalibus naturâ recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo viderunt *Tacit. 2. Histor.*

[b] Offendebat validissimè Drusum Tiberii filium splendor Sejani, quem ultra civilem modum Tiberius extulerat honoribus immodicis. Et quamvis illi ut filio nihil officere posse videbatur, erat tamen Sudes in oculis, erat divitiarum, usq; adeo, ut sæpè quæreretur incolumi filio adiutorem imperii alium vocari & quantum superesse ut collega dicatur. Precandam posthac modestiam ut contentus esset *Tacit. 4. Annal.* Nunquid alios sensisse putemus, qui inferiorem qui in æquo viderunt Sejanum. Nunquam enim eminentia invidia carent. *Vellej. Paterc. lib. 2.* Estq; hoc commune vitium in magnis liberisq; civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit. *Cornel. Nep. in Chabr.*

(c) Cum enim ex naturæ ductu didicerint æqualia tribuenda æqualibus, unum præ cæteris & solùm honoribus & magistratibus augeri iniquissimum opinantur. Inde incensi invidia, irâ, indignatione quasi sprete, qui se relictos sentiunt, illos autem dolent altius evolasse. *Cic. 2. de Orat.* Ac ut primo ad consequendos quos priores ducunt accenduntur, ita ubi aut præteriri aut æquari posse desperaverunt, studium cum spe senescit, ac quod assequi non possunt, sequi desinunt, ac velut occupatam relinquentes materiam quærunt novam. *Vellej. Paterc. lib. 1. fin.* Et ad res novas vertuntur: maluntq; omnia sursum deorsum ferri, quàm tales sibi præferri. Otho ad cædem Galbæ non tam festinasset imperium arrepturus, nisi Pisoni adoptionis honorem, quo se carere ægrè forebat, invidisset. *Tacit. 1. Histor.* Neq; Respubl. Romana in tantum discrimen adducta fuisset, nisi Cæsar in Pompejum tantum gloriæ, tantum authoritatis, tantum honorum confluere vidisset. Et invicem Pompejus quiesset, nisi immodicos Cæsaris honores suspectasset.

Tu

Tu nova nec veteres obscurent facta triumphos
Et victis cedat piratica laurea Gallis.

Magne times. Te jam series ususq; laborum.

Erigit impatiens loci fortuna secundi

Nec quenquam jam ferre potest Cæsar priorem,

Pompejusq;vè parem. *Lucan. lib. 1. Phars.*

Th. X.

Quin etsi divitiis opibusq; pauci affluent,
ex invidiâ reliquorum discordia & seditio o-
ritur.

Haut enim secus opes sollicitant animos & perstringunt
hominum oculos ac dignationes. Quippè multos reperies
geminos Marcello, qui paupertatem præcipuum malorum
credebat. *Tacit. 14. Ann.* Hinc invidentia in illos, qui abun-
dant. Hinc conjuratio. Quàm dolenter Catilina conqueri-
tur: Postquam Respubl. in paucorum potentium jus ac di-
tionem concessit: semper illis Reges Tetrarchæ vectigales
esse populi, nationes stipendia pendere. Cæteri omnes stre-
nui boni nobiles atq; ignobiles vulgus fuimus sine gratiâ,
sine auctoritate, his obnixii quibus si Respubl. valeret, formi-
dini essemus. Itaq; omnis gratia, potentia, honos, divitiæ
apud illos sunt, aut ubi illi volunt. Nobis reliquere pericu-
la, repulsas egestatem. Et paulò post. Quis mortalium, cui
virile ingenium est, tolerare potest, ipsis divitias superesse,
quas profundunt in extruendo mari, & môtibus coævandis,
nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? Illos binas
aut amplius domos continuare: nobis larem familiarem nus-
quam ullum esse? Cum tabulas, signa, Toreumata emunt, no-
va diruunt, alia ædificant, postremò omnibus modis pecuni-
am trahunt, vexant, tamen summâ libidine divitias suas vin-
cere nequeunt. At nobis est dominopia, foris æs alienum,
mala res, spes multò asperior, deniq; quid reliquum habe-
mus, præter miseram animam. *Sall. in Catil.* Nunquam enim
æquo animo pauperes alienam opulentam intuentur fortu-
nam *Corn. Nep. in Chabr.*

Quan-

Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas etsi funesta pecunia templo,
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras
Ut colitur pax atq; fides, victoria virtus.
Quæq; salutato crepitat concordia nido.

Juven. sat. 1.

Th. XI.

Nimia unius civis potentia vel *ὑπερβολή* pe-
riculosa est cunctis Reip. formis.

Non solum quia illam persequitur invidia ac odium;
ceu Romani in T. Vinci odium diverterant, qui indies quan-
to potentior apud Galbam, eodem actu invisior erat, *Tac. 1. Hist.* sed etiam quoniam tantam potentiam auctis plerumq; mode-
ratio felicitatis deest. Enimvero inescati dulcedine potesta-
tis ascendere altius gestiunt. Humili loco ortus Sejanus in
tantam provehente Tiberio enisus potentiam fuerat, ut so-
lus omnia posset, solus omnia imperii negotia ipsumq; Tibe-
rium moderaretur. Usq; adeo, ut non Sejanum Vulsinien-
sem, *ita loquitur Eques Romanus M. Terentius*, sed Claudiae &
Juliae domus partem quas ad finitatem occupaverat tuum Caesar
generum, tui consulatus socium, tua officia in Republ. ca-
pesentem coleremus *Tac. 6. Annal.* Non tamen contentus
hac sorte Tiberio insidias moliens imperium affectabat, ad
quod sibi callide vim muniebat. *Tac. 4. Annal.* Quam mul-
tis Imperatoribus Graecis malo verterit ministros, nimiam po-
testate auxisse, Historiae loquuntur. Et Florentiae quid Me-
diceis principatum peperit, nisi quod conniventibus Rectori-
bus ad tantam *ὑπερβολή* pervenerant *Jov.*

Th. XII.

Huic affinis est *ἀυξήσις* sive unius ordinis in
Republ. praeter ceteris incrementum.

Quemadmodum enim corpus ex partibus suis constat,
& oportet eas simul pro modo quamq; suo crescere, ut con-
venienti permaneat, ac nisi hoc fiat, corrumpitur, ceu quando
pes quatuor cubitorum fit, ceterum vero corpus duarum

C

pal-

palmarum longitudinem habet: interdum verò & in alterius animalis figuram transfret, si non solum quantitate, sed etiam qualitate immoderatum fieret incrementum: ita & civitas ex partibus constat, quarum paulatim interdum aliqua subcrefcit ceu egenorum hominum multitudo in popularibus gubernationibus & Rebuspublicis *Arist 5. Polit. c. 3.* Quod Romæ procul dubio accidit, cum plebs in sacrum montem secessisset: nam tum invaluit plebis potentia, ut status, qui optimatum videbatur mutaretur & ad Democraticum inclinaret. Sic & Athenienses à Syracusanis duce Nicia ingenti clade fracti ac prostrati repente statum popularem in Aristocratiam mutarunt & ex civibus universis 400. cives imperium arripuerunt; qui tamen seipfos pro quinque civium millibus ferebant, quod Pisandri fraude factum est. *Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 1.* Contra cum apud Tarentum ab Japygenibus magno prælio superati magnam nobilitatis partem amisissent, facta ex Republ. popularis status *Arist d. 1.* Seleuciæ quoque status mutabatur, prout vel plebs, vel optimates prævalerent *Tac. 6. Annal.* Cujus rei imaginem & in servorum deprehendimus incrementis. Nam cum Tyrii Persarum bellis diu varieque fatigati victores quidem fuissent, attritis tamen viribus debilitati essent & imminuti à servis suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpassi sunt, qui conspitatione facta omnem liberum populum cum dominis interficiunt. *Justin. lib. 18.* Imitati id Volfiniorum servi, qui libertatem à dominis datam in ipsos erexerant, translataque in se Republ. dominabantur *Flor. lib. 1. cap. 21.* Non referam, quid Mameluchi in Ægypto ausi, de quo *Jov.*

Th. XIII.

Metus seu desperatio quoque aliquando pristinum Reipubl. statum labefactat, mutat.

Nam qui vel pœnas metuunt ob maleficia commissa & hi contra quos paratur violentia pervenire volentes priusquam malum patiantur ad seditionem descendunt. Ita apud Rhodum nobilitas contra plebem insurrexit metu
judici-

judiciorum, quæ sibi parabantur *Arist. 5. Polit. c. 3.* A desperatione enim nascitur firmum propositum quodvis scelus perpetrare *Scipio Ammirat lib. 1. disc. 8.* Otho desperatione metuq; Pisonis ad seditionem & insidias compulsus videtur *Tac. 1. Hist.* Haud secus ac Catilina *ap. Salust.* Id enim genus homines Reip. malis sua vulnera obtegere moliuntur & cum omnibus perire malunt, quàm soli. Cogitq; in unum communis metus etiam eos, qui prius erant inimicissimi *Arist. 5. Polit. c. 10.*
Th. XIV.

Sic & contemptus corruptionis Reip. causa solet esse non postrema.

Seditiones oriuntur vel ex contemptu imperantium, vel parentium. Quando enim, qui Reip. præsent, despiciatui esse occipiunt, facile deturbantur & civitatis status mutatur. Contemnuntur autem, vel ob Rerum publicarum neglectum ut Sardanapalus ab Arbactio exutus regno est. *Justin. lib. 1.* Si modo hæc Fabula vera fuit *Arist. 5. Pol. 10.* vel ob pravos mores, ut Dyonisius *Arist. ib.* Hieronymus *Liv. lib. 4. dec. 3.* vel ob paupertatem, vel ob adversas res Xerxes *ap. Justin. lib. 3.* Sunt & alia sæpè levicula, quæ contemptum affricare possunt principibus. Deindè contemptus etiam valet ad civitatis perturbationem, quandò cives, qui contemnuntur, ad vindictam exardescunt & eximere se ludibriis satagunt. Ceu Syracusani, cū sperni se ab Hieronymo Rege cernerent, conjuratione factà eum trucidarunt. *Liv. lib. 4. dec. 3.* Ad plebem Romanam in patres accendendam ità concionatur Canulejus: Ecquid Sentitis, in quo contemptu vivatis *Liv. lib. 4. Dec. 1.* Igitur plurimæ ex contemptu fiunt conversiones *Arist. 5. Polit. c. 10.*

XV.

Proxima huic mutationis causa & paulò asperior est Contumelia.

Habet enim aculeum contumelia, quem pati pudentes ac boni viri difficillimè possunt *Cic. 5. Verr.* Imò nec mali: Sævit autem vel in corpus, vel in bona. Illa ejecit Româ Tarquinius, cum Regis superbi filius Lucretiæ vim intulisset.

C 2

Liv.

Liv. lib. 1. dec. 1. Flor. lib. 1. c. 7. Mauros in Hispaniam traduxit quam per septingentos ferè annos tenuere. Nam Rex Henricus comitis Juliani de cepta filiam Cabam compresserät. Quä incensus comes contumeliä totoq; animo vindictæ deditus barbaros duce Muzzä Huwenokair accersivit, ut acceptam injuriam ulcisceretur. *Gwevar. lib. 3. litter. Illustr.* Messeniis bellum intulere Lacedæmonii, quod in solemnibus Messeniorum sacrificio virgines illorum stuprassent *Justin. lib. 3.* Batavos Civilis commemoratione contumeliarum, quas à Romanis passi erant, in bellum accendit & in arma agit, injurias, raptus cætera servitii mala enumerans. Neq; enim societatem ut olim, sed tanquä mancipia haberi *Tac. 4. Hist.* Quæ in bona grasatur contumelia, haud minus commovet animos hominum. Amat enim vulgus pecuniam vitä impensius, ait *Timocles ap. Stobæ.* Neq; fert magnum ingenium & liberum, cum contumeliä damnum *Plin. lib. 6. Ep. 8.* Nec quicquam acrius, quam pecuniæ damnum stimulat, ait Hannibal *ap. Liv. lib. 30.* Ita q; Britanni graviter agitant inter se mala servitutis conferunt injurias & interpretando accendunt. Nihil profici patientiä, nisi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim Reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus Legatus in sanguinem, procurator in bona sæviret. His ac talibus instructi sumpserunt universi bellum Voadicæ generis regii foeminä duce. *Tac. in vet. Agric.* Idem Galgacus conqueritur de Romanis, Bona, fortunasq; in tributum egerunt, in annonam frumentum *Tac. ib.*

Th. XVI.

Æiðea aliquandò civitates & imperia mutät.

Æiðea vilitas & contempta vitæ ratio seu genus dicitur nimirum si magistratus sordidissimo & vilissimo mandentur indignantibus honestioribus, quomodò olim Hircæ, quod oppidum est Ambraciæ. Cum enim viles homines suffragiis designarent magistratus suffragio designari solitos, sortitò fecerunt. Hanc vilitem & profanationem magistratuum olim

Ro-

Romæ & Patricii adversus plebem sæpè exaggerabant, ut vide-
re est ap. *Liv. decad. 1.* Hæc eadem de causâ olim Imp. Augu-
stus novo & admirabili delectu Senatû, in quem propter
longa bella civilia sordidissimiq; (quæ de re *Cic. in Epist. ad
Attic.* tanquam de re indignâ conqueritur, se milionibus in
Senatû assidere debere) irrepsent de infimâ plebe, sæpè
recensere & purgare coactus fuit, teste *Sveton. & Dion. lib. 54.
Gif. in cap. 3. lib. 5. Polit. Aristot.* Sed & Claudius eodem mo-
do emovit Senatû famosos probris *Tac. lib. 11. Annal.*

Th. XVII.

Negligentia quoq; Rebuspubl. periculosa:
quandò ad summos magistratus admittuntur,
quibus præsens status non placet.

Neq; enim quiescunt illi, donec, quod cupiunt, effecerunt,
& ad suum nutum Rempubl. immutarunt. Apud Hircum
certè eversa est Oligarchia ac in Politiam ac democratiam con-
versa, cum Heracleodorus quidam præsentis formæ Reip. non
amicus ad summum magistratum evehctus esset *Arist. 5. Polit.
c. 3.* & Lycurgus Charilai Polibitæ Spartanorum regis filii
tutor ita conformavit. Rempubl. ut regibus parum potentia
relinqueretur *Justin lib. 2.* Ac Romæ post ejectos reges. cum
patritii Rempubl. tenere potuissent, Valerius plebis adulator
undè & Publicola dicitur, submitit populo fasces. *Liv. lib. 2.*
Est enim, qui populum dncit & colit, populi adulator *Aristo
5. Polit. c. 10.*

Th. XVIII.

Præterea *ἡ δὲ τὸ μικρὸν* mutationi & corru-
ptioni obnoxia evadit civitas.

Dico autem *ἡ δὲ τὸ μικρὸν*, quandò latet paulatim suc-
crescens Reip. mutatio, quæ ad magnitudinem latenter eva-
dit, si negligatur. Quemadmodum apud Ambraciotas à par-
vo censu prius erant magistratus, tandem verò à nullo, qua-
si nihil aut parum differat parum & nihil. *Arist. 5. Polit. 3.*
Quando enim omittunt aliquid ex his, quæ ad Rempubl per-
tinent

C 3

tinent, ac deinde aliud paulò majus facilius movent, quo usq; totam moveant Reip. formam. Quod in Thuciorum accidit Republ. Cum enim legem haberent, per quam non nisi intermisso quinquennio præturam gerere licebat, juniores quidam rei militaris periti apud multitudinem famam habentes cum cæteros, qui in rebus gerendis versabantur, spernerent ac faciliter se consecuturos esse arbitrarentur, legem totam illam tollere aggressi sunt, latâ alterâ lege, ut liceret continuè eosdem prætores esse. At enim magistratus, qui præerant suffragiis, appellabantur verò consultores commoti prius ad resistendum, tamen postea desisterunt, putantes quamvis hæc unâ lege soluta, tamen cæteras esse permanfuras, postea verò prohibere volentes nihil profecerunt, sed mutata est Republ. in potentiam eorum, qui res novas aggrediebantur. *Arist. 5. Polit. 7.*

Th. XIX.

Advenarum receptio solet magnas in Republ. turbellas dare.

Grave enim periculum imminet, cum peregrinis omnibus pater aditus in urbem, in quâ opes & incrementa accipiunt & cum opibus ac potentiâ civibus pares esse cœperint ab honoribus & imperiis prohiberi se graviter ferunt *Bodin. 4. de Rep. 1.* Quapropter quicumq; adhuc inquilinos susceperunt, vel advenas omnes ferè seditionibus jactati sunt *Arist. 5. Polit. 3.* Idq; octo firmat exemplis. Sapienter igitur Gallorum ille Regulus, qui Massilienses locum condendæ urbis à Senano Segorigiorum rege impetrasse agrè ferebat, periculum ex illis prospexit, & Commano Senani filio lepidâ fabulâ præmonstravit. Canem, dixit, aliquandò partu gravidam locum à pastore precariò petiisse, in quo pareret. Quo obtento iteratò petiisse, ut sibi educare in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis sultam domestico præsidio proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoq; dominos regionum futuros *Justin. lib. 43.* Multus sim oportet, si recensere velim eorum exempla, qui peregrinos milites in auxilium advocantes ipsi graves & oppressores sensere instar equi ap. *Hor. lib. 1. ep. 10.*

Cervus

Cervus equum pugnâ melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frenumq; recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste.
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.

Th. XX.

Nonnunquam & situs urbis in discordias
& seditiones agit civium animos.

Quando nimirum talis est locus ut non ad unam ean-
demq; gubernationem sit aptus, ut Clazomeniis accidit, qui
in Chytro habitant, contra eos, qui habitant in Insulâ. Et
Colophoniis erga Notios: Athenis quoq; non eodem modo,
sed multo magis populares sunt, qui in Pyraeo habitant, quam
qui in urbe. Ut enim in praeliis transitus fossarum, etiam si
admodum parvæ sint, interrumpit ordines militum, ita &
in Civitate dissidentia omnis videtur disjunctionem facere
Arist. 5. Pol. 3. Quin etiam unius fluminis, aut vacuum ædifi-
ciiis intervallum cives ab amicitia sæpè divellit *Bodin 4. de Rep. 1.*
Ceu Lugdunensibus & Viennensibus uno amne discretis con-
nexum odium *Tac. 1. Hist.* Quo in tantum exarserunt, ut Lug-
dunenses non vererentur extimulare singulos militum & in
everfionem Viennensium impellere *Tac. ib.*

Th. XXI.

Ad remedia mutationum pergimus, quæ
vel ad aditum obsepiunt corruptionibus, (a) vel
gliscentes tollunt, (b) vel deniq; morbo medici-
nam admovent. (c)

(a) Ad occludendam malis viam cum primis facere exi-
stimatur, si nihil negligatur, nndè Reip. periculum oriri possit.
Quod si non susq; deq; habuisset *Quintilius Varus* ipse, vitam
Augustus tres legiones non amisset *Tac. 1. Annal. Vellej. Pater,*
lib. 2. Neq; Thebis tanta ab exulibus clades accepta foret, si,
cum de horum adventu ad magistratus rumor esset delatus,

cum

eum non despexissent. *Corn. Nep. in Pelopid.* Quamobrem etiam minima quæque cum curâ tractanda in Republ. maximèque ab eo cavendum, quod paulatim repit, *Arist. 5. Pol. 8.* Sed & leges ne facilè mutantur, studendum, Cujus rei usum intellexit Lycurgus, qui ut æternitatem legibus suis daret, iurando obligavit civitatem, nihil eos de ejus legibus mutatu- ros priusquam reverteretur: & simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum quid addendum mutan- dumque legibus videretur. Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit, abjicique in mare ossa sua moriens jussit, ne relatis Lacedæmona solutos se Spartani religione jurisjurandi & dissolvendis legibus arbitrarentur. *Justin. lib. 3.* Infinitam Romanarum legum varietatem & inde damna tradit *Tac. lib. 3. Annal.* Rectius Thurii suam legem abolendam inserere collum jussere laqueo, ut si displiceret sententia, suffocaretur. Antevertit quoque mutationem, si caveatur perfidia eorum hominum, qui sunt quasi duces in populo. Cum enim popularem captent auram, facilè quolibet imperitos plebis animos impellere possunt. Athenis Oratoribus vis maxima. Ideò dedi sibi eos quod ad rebellandum cives inducerent, Philippus postulavit. Et certè nihil deterius posset esse in Republ. seditiosis & impostoribus, Rhetoribus & concionatoribus, qui linguam venalem & vel ambitiosam nihilque plerumque homines quorum nihil interest tranquillam esse Rempubl. faces quæ ignem subjiciunt. *Tholosan. lib. 23. de Republ. c. 8.* Et quamquam hodiè talium Oratorum in Rebuspubl. nec frequentia, nec authoritas tanta: subrepunt tamen alii haud minus noxij etiam in municipalibus Civitatibus, qui seditiosa per cœtus serunt animos bonorum quoque civium cõturbant, in magistratus etiam infantes concitant, illorum existimationem fidemque forcillant, calumniantur, suggillant; quin & in exitum moliuntur. Quibus tamen Demagogis præmium dari meritò debet, quod *Petr. Gregor. Tholos.* illis decernit *lib. d.* Ab illis igitur curiosè diligenterque cavendum. Porro ut status bene sit & civitati, prudentes peritosque gubernatores præficere est utile. Quales enim magistratus tales Respubl. Pro-
indè

indè rectè se gerere oportet magistratus tum ergà ci-
ves, tum collegas. Erga Cives, si non superbè sese efferant,
nec illos damno aut Injuriâ afficiant. Erga collegas,
humanè invicem ac populariter se gerendo. *Aristot. 5. Pol. 8.* Magistratùs tamen perpetuitas in uno displiceat. Sa-
lubriter igitur Romæ constitutum, ut magna imperia brevi
tempore finirentur. Indè & Sexviris, qui consilii capiendi
causâ Venetorum principi adesse jubentur, imperium bime-
stri curriculo definitum est. Nec verò Athenis plus uno die
Archonti claves arcis habere licuit, & qui arci Rhagufiorum
etiamnum præficitur diurnum munus habet, & capite obvolu-
to in arcem deducitur. *Bod. 4. de Rep. c. 1.* Hæc enim imperandi
vicissitudo efficit, ut & pluribus ad honores aditus, nulli verò
ad nimiam potentiam patefeat.

(b) Ingravescentes causas tollit & seditionem avertit, cū
æqualitas inter cives culta; tum pœna asperior in seditiosos
constituta. Nam illa est mater amicitiarum, inæqualitas verò
hostis. Ubiq; enim propter inæqualitatem oritur seditio.
Arist. 5. Pol. 1. Pœnâ v. maloq; admoniti à seditione deterrentur,
qui suâ spotè rectè facere non didicerunt. vid. *Tholos. lib. 23. de
Rep. c. 9. n. 15. c. de his in sequentibus.*

Th. XXII.

Invidiæ ex nimis honoribus occurritur,
si ex illis in alios aliquantum deoneretur.

Hæc ratione fiet, ut quod invidiant, non habeant. Cum
enim invidia oriatur ex alienâ felicitate quam ægris introspi-
ciunt oculis, quibus non obtingit simul communicata cum il-
lis fuerit desinent malevolentiam ægrescere ac de turbandâ Rep.
cogitare. Notabile est factum Fabii, qui ingestum suæ familiæ
consulatum repudiavit, orans patres, sinerent tandem Fabio-
rum familiam ab invidiâ quiescere. *Liv: Ut v. elidatur invi-
dia, maximum est illud in omni Republ. & legibus & cæterâ o-
mni diligentiam constituendum, ne ex magistratibus lucra pro-
veniant. Levius enim ferunt populi, qui à Repub. excluduntur:
qui nimio gaudēt, quod sua agere permittuntur: At si existimēt,*

D

cos

eos qui magistratus gerunt ex Republ. ditari duplicem capi-
unt molestiam & quod ab honore excluduntur & quod à lucro
Aristot. 5. Polit. c. 8.

Th. XXIII.

Ingentium opum (a) invidia vero illarum
usu levatur & mitigatur. (b)

[a] Quas inde invidiosas dicit *Tacitus* pluribus in locis
quod maxime soleant in animis egentium invidiam excitare.
Quam criminandi patres ad populum arripiebant ansam tri-
buni plebis, rogantes: Auderentne postulare ut
cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta
habere liceret? Ut singuli prope trecentorum civium pos-
siderent agros, plebeio homini vix ad rectum necessarium, aut
locum sepulturae pateret ager. *Livius*. Principio vero provi-
dendum, ne aliquis nimis ditescat. Eam ob rem invenere
censum Romani, quo definiabantur civi 50. jugera.

(b) Sin vero neglectus census & aliquis ad invidiosas opes
pervenit effugiet odium & invidiam vero divitiarum usu
Romani sane erat in more publica re unificentia. Nee Au-
gustus arguerat *Taurum*, *Philippum*, *Balbum* hostiles exuvi-
as aut exundantes opes ornatum ad urbis & posteram glori-
am conferre. *Tac. 3. Ann.* Ac si cui *Plinium* imitari placue-
rit, etiam si maximis abundet divitiis non solum invidiam fa-
cile declinabit, sed & laudem inveniet. Nam *Calvinæ* de-
solatae patris hereditatem ob aes alienum agnoscere timentis
quod ipsi debebat omne condonat. *lib. 2. ep. 4.* Bibliothecam
in patriam dedicat suorum civium usu destinatam *lib. 1. ep. 8.*
Quintiliani sui Praeceptoris filiae dotem confert *lib. 6. ep. 32.* In-
ingenuorum educationem pecuniam pollicetur *lib. 7. ep. 18.*
Templum exstruit in oppido, cui patronus erat *lib. 4. ep. 1.* Prae-
ceptoribus in patriam *Como* docentibus, salaria constituit *lib. 4.*
ep. 13. Nutricem remuneratur. *lib. 6. ep. 3.* Neque facile est reperi-
re, qui istum liberalitate aequet, nedum superet, nisi socium
tantae laudis ipsi *Cimonem* adungere fas est: qui ita divitiis
usus est, ut nemini possent esse dividiae vel invidiae *Corn. Nep.*
in Cimone.

Th. XXIV.

ῥωξὸν (a) labefactatur, si excellens aman-
detur, (b) vel etiam privato honore oneretur. (c)

(a) Noxium & periculolum in omni Reip. formâ nimi-
um unius fastigium, non solum quod invidiam pariat, sed et-
iam quia ea est ingenii humani conditio, ut quo plus adeptum
est, eo plura concupiscat, cum optimos quosque; altissima cupere
testetur *Tac. 4. Ann. Aristot. 2. Polit. 7* Sed & facile traducatur
corruptus largitionibus animus ad mala consilia *Cic. lib. 2. ep. 2.*
ad Brut. Totæ v. in eo sint oportet bene constitutæ Respubl.
ne quis civium supra reliquorum æqualitatem assurgat. For-
midolosum paci insignem virum & ignavo principi prægravem,
Tacitus ait de *Corbulone. 11. Ann.* Venetorum prudentiæ adsi-
gnatur, quod neminem ex optimatibus, qui vel insigni virtute,
vel spiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus
crescere vel collectâ gratiâ potentem & clarum fieri patientur
Jovius lib. 1. Et *Tiberius* in demandandis provinciis eminentes
virtutes non sectabatur. Ex optimis enim periculum sibi me-
tuebat. *Tac. 1. Ann.* Videturque; hinc *Ephesiorum* lex originem
traxisse. Nemo nostrum excellens esto, *Cic. 5. Tuscul.* ut verò lu-
culentius dispiciamus, qui huic potentiæ resistatur, causæ ab o-
rigine prius sunt arcessendæ. Nam vel beneficio gestorum
magistratum, vel ope ingentium opum ad ῥωξὸν perveni-
tur. His tum, quando largitionibus populi animos demultos
sibi conciliant instar *Melii* qui annonâ plebem capiens ad re-
gnum sibi viam munire credebat. *Liv. lib. 4.* Quoniam v.
horum conatus ita occultari nequeunt, quin deprehendantur,
minus timendum ab iis. Ut tamen spe suâ cadant corruptores,
consilio *Manlii* utendum; *Qui, offendit vos P. C. ait, affusa*
lateri meo turba: quin eam à me diducitis singuli beneficiis ve-
stris. Liv. lib. 6. Indè *Sosibius Claudium* monet, auri vim atque;
opes principibus infensas. *Tac. lib. 11. Ann.* Magistratibus
magnis moliendi aliquid præcisa plerumque; facultas est, si ar-
morum potestas illis non permittatur. Arma enim confiden-
tiam pariunt. Idque; omnibus constare debet, eum, qui Reip.
arces & exercitus habeat, dominatum habere. *Bodin. lib. 4. de*

Rep. c. 1. Magistratum v. potestas, ne insolescat, tribus modis potest coerceri. Primò si unius potentiae opponatur alius magistratus, qui illius acta impedire possit. Patribus Romæ tribuni, Lacedæmone Regibus Ephori resistebant. Deinde si magna imperia non sint diuturna, minuitur potentia. Id Romanis neglectum magnatum cladum fuit principium. Tandem exarmatur quoque magistratus magnus, si inter plures dividatur ille honor, illa potestas.

(b) Quid vero, si jam ad culmen magnæ potentiae quis pervenerit, jamque imminere Reip. deprehendatur? Tum aliò amandandus. Cujus rei causâ Syracusani ad petalismum. *Diod. Sicul. lib. 1.* Athenienses & Argivi ad Ostracismum confugiebant. *Arist. 5. Pol. 3.* Qui enim superexcellere videtur vel propter divitias, vel propter amicos, vel propter aliquam aliam civilem potentiam, extrâ civitatem relegatur, ad tempus aliquod determinatum. *Arist. 3. Pol. c. 13.* Rubellius Plautus cui per matrem ex Juliâ familiâ nobilitas & illustres virtutes principatum vindicare visæ, à Nerone in Asiam expellitur. *Tac. 14. Ann.* Sin ejusmodi homo longius sit progressus, aut beneficiis vincendus: Id quod Cæsar & Augustus in pluribus fecere: aut statim in civitate opprimendus. Nam tunc nullus cunctationi locus in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum. *Tac. 1. Hist.* Utiq; si βελλῶσις speretur. Et si palam periculosum est aggredi astu agendum, exemplo Tiberii, qui Sejanum imperiû affectantem astu vicit, astu petitus. *Tac. 4. An.*

(c) Si nimirum tempus & ratio patitur. Itâ enim Epaminondam, quod gloriâ ob pugnam Leuctricam excelleret, invidiâ ægrescentes Thebani privatum in exercitu & sine imperio esse passi sunt. *Corn. Nep. in Epaminond.* & Agricola, quod jam Imperatoriâ laude ferebatur ac inde Domitiano formidolosum esset quod privati hominis nomen supra principis attolleretur revectus ex Britannia Romam turbâ servientium immixtus est. *Tac. in vit. Agric.* Nonnunquam & dati honores paulatim auferendi. Maximè v. lege itâ providere conandum est, ne alicui nimium sit excessiva potentia neque armorum, neque pecuniarum. Quod si itâ contingat, removendæ sunt ejustamodi hominum clientelæ. *Arist. lib. 5. Polit. c. 8.*

Auxesis vel incrementum unius ordinis
est cavendum.

Sapienter & scitè Menenius Agrippa Rempublicam cor-
pori humano comparat. *Liv. lib. 2.* Cujus si pars aliqua augetur
suprà reliquorum proportionem, vel decrescit, ipsum haud
procul exitio abesse manifestum est. Eodem modo in Rep.
Si unus assurgat altius & corroboretur ordo, anima
civitatis turbatur. Ideò æqualitas & concinna omnium par-
tium competentia est custodienda, minuendæq; vires ordinis,
qui caput super cæteros exerere molitur. Spartani crudeli-
ter quidem ex usu tamen civitatis rati Helotas circa fanum
Jovis congregatos trucidarunt, cum tantus illorum numerus
animadverteretur, ut formidini essent. *Thuc. lib. 4.* Idq; non si-
nè ratione fecisse videtur elucescere ex *Arist. lib. 2. Polit. c. 9.*

Nunquam ad desperationem homines a-
digendi vel noxiis veniæ ac vitæ præcipientia
spes.

Nunquam eò adducendi cives, ut videant vel sibi pere-
undum, vel alium tollendum. Quem enim quis metuit eum
sublatum cupit. Semper in autores redundat timor nec quis-
quam metuitur, ipse securus. Ocurrat hoc loco tibi Labe-
rianus ille versus qui medio civili bello in theatro dictus to-
tum in se populum non aliter convertit, quàm si missa esset
vox publici affectus: Necessè est multos timeat, quem mul-
ti timent. *Senec. lib. 2. de ira c. 11.* Malus autem est custos diutur-
nitatis metus. *Cic. 3. 97. Tusc.* Itaq; qui aliquod magnum ma-
lum metuunt, ità tractandi, ne spem salutis abjiciant, tum
enim ad illud descendunt:

Una salus victis nullam spernare salutem.

Imò parcere aliquandò conjuratoribus est eorum animos
vincere & ex inimicis amicos reddere. Pudet eum è vitâ tol-
lere voluisse, à quo vitam quis accepit, *Vrenul. lib. 4. inst. Polit.*

21.6.3. Itā Augustus Cinnæ pepercit, ignovit, ac inter inti-
mos amicorum tenuit. Neq; etiam curiosè & minaciter in re-
os inqvirendum. Tiberius igitur, cum Clemens servus tur-
bas ciceret & seditionem quāquam multi è domo principis
equitesq; ac senatores sustentasse opibus juvisse consiliis dice-
rentur, non quæsiuit. *Tac. 2. Annal.* Id cum alii fecissent, malè
sibi consulere. Alphonfus Calabriae Duk, cum bellū gereret, ad
Ferraram sæpius minatus erat, se ubi Neapolim redisset, quo-
rundam suppliciiis regnum pacare velle. Quæ cum innotu-
issent, causa fuerunt rebellionis Aquilæ & Baronum. *Joh. Boter.*
lib. 1. de ratio. stat. p. 68.

Th. XXVII.

Contemptum devitant, qui amori civium student.

Amorem verò mutuo amore provocari & conciliari Sene-
ca docet. Ego monstrabo tibi, ait, amatorium sine medica-
mento, sine herbâ, sine ullius veneficæ carmine, si vis amari,
ama. *Epist. 9.* Sin secus fecerint, reponi ferè potest, quod
L. Crassus Philippo Consuli ingessit: Cum eum sibi consulem
esse negaret, cui ipse senator non esset. *Cic. 3. de Orat. pr.* Cha-
ritatem autem civium parare sibi queunt, qui clavum tenent,
si summam in custodiendâ civium salute & tuendâ incolumi-
tate præ se ferant sollicitudinem. Nam Hiero Siciliae Rex
quingvagina annis obtinuerat Syracusanorum regnum ipsis
volentibus, quorum incredibilem favorem sibi curâ Reipubl.
conciliarat. *Liv. lib. 24.* Deindè si moderatè se gerant &
à moribus ac institutis civium non abhorreant. Ideoq; Au-
gustus civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. *Tac. 1. Ann.*
Sed Hieronymus cum insolesceret & ab institutis avi descen-
deret, omnium odia sibi concivit *Liv. lib. 24.* Haud secus
ac Alexander M. Macedonum mores exosus, cum hi ab illo
se contemni putarent omnibus invisus, postremò veneno
necatur. *Curtius.* Sed & virtutibus operam navent & vitia
exercentur. Quod magnam illis circumdat authori-
tatem & amorem. Majestati propria esse virtus videtur,
ut

ut qui dignitate cæteris præstat, iisdem virtute antecedit,
Ad eò si subditis major est princeps & melior esse debet.
Quippè convenire illi imperium non videtur, qui, quibus
imperat, melior non est. Et ille tandem magni facien-
dus est, qui virtutem in illò rerum humanarum fastigio pro-
bè excolit. Ejus omnes imperium æquò animo patiuntur
Vernul. lib. 1. Inst. Polit. tit. 11. c. 3.

Th. XXIIIX.

Ne contumeliâ exasperari possint animi,
crudelitate (a) maximè abstinendum & in tri-
butis (b) modus servandus.

(a) Malè vim suam potestas aliorum contumeliis expe-
ritur, malè terrore veneratio acquiritur, longè violentior
amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor *Plin. lib. 8. ep. fin.*
Firmissimum ergò longè imperium quo obediens gaudent.
Liv. lib. 8. Nec ulla potestas tuta, nisi quæ benevolentiam
munita. *Corn. Nep. in Dion.* Cum enim crudeles sibi ipsis graves
sint, quid mirum, si aliis invis? Tiberius de seipso ad Sena-
tum: Quid scribam vobis. P. C. aut quomodo scribam, aut
quid omninò nò scribam hoc tempore, dii me deaq; pejus per-
dant, quàm perire quotidiè sentio, si scio. Ad eò facinora
atq; flagitia sua ipsi quoq; in supplicium verterant. Neq;
frustrà præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si reclu-
dantur Tyrannorum mentes posse aspici laniatus & ictus,
quandò ut corpora verberibus, ità sævitia, libidine, malis con-
sultis animus dilaceretur *Tac. 6. Ann.* Quid Caligulam, Nero-
nem, Domitianum perdidit, nisi crudelitas inhumana? Vix
igitur est, ut non ferro cadant principes, qui ferro grassantur,
quod bonorum sanguis effusus sanguinem effundentis sitiatur.

Et illa nimia sane superbia multorum manus ad eadem
irritat, quod benignitatem atq; facilitatem in summo magi-
stratu requirant, contemni non velint, vivere in perpetuo
motu non possint. Libidine cum illa ad injuriam aliorum
quorum est etiam infimorum, nemo liber unquam est regnare
passus. *Vernulej. lib. 4. instit. Polit. tit. 1. c. 2.*

[b] Ma

[6] Maximus est nodus in Republ. inopia rei pecuniariae *cic. ep. 18. ad Brut.* Quo egregii conatus saepe impediuntur. Igitur, ut ærarium locuples sit, opera danda: Nec facile tributa imperanda: Nam obdureseunt quoque boni viri ad vocem tributi. *Cic. ep. 18. ad Brut.* Ab Atheniensibus socii, quibus tributum imperarant, defecerunt. *Thucyd. lib. 1.* Inde & Apinius Tiro donis ac pecuniis acerbe per municipia cõquirendis plus invidiæ, quàm virium partibus addebat. *Tac. 3. Hist.* Sed quoniam nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis nec stipendia sine tributis haberi queunt. *Tac. 4. Hist.* ac impossibile est, ut sacris tributis non illatis alioqui Respubl. conservetur. *c. ac sane 2. Nov. 149.* Potest magistratus imperare tributa & sine acerbitate tamen exigere.

XXIX.

Ætheia occurritur si spectata virtutis & honesto loco natis demandentur magistratus.

Thebis usque eò præclusus erat aditus ad honores magistratus sordidis civibus, ut ne mercatores quidem, nisi decennio à mercaturâ abstinuissent, ad Reip. honores pervenire possent *Arist. 3. Polit. c. 5.* Neque Tiberius maculosis & probrosis provincias curandas, aut munera publica committebat: ex illis enim publicum dedecus metuebat *Tac. 1. Annal.* Publico verò pudore non suffundetur Civitas, quæ gubernaculis probatos admovet, neque in honestiorum animis ægritudo ab *Ætheia* oritur, quæ statum mutare possit.

XXX.

Qui statum præsentem non amant, ad honores non sunt admittendi, sed alio ablegandi.

Quemadmodum Romæ, cum glisceret jam conjuratio, Cn. Piso, qui etiam ex conjuratis erat, in Citeriorem Hispaniam missus est Quæstor pro prætore adnitente Crasso. Neque tamen Senatus provinciam invitus dederat: quippè fœdum hominem à Republ. procul esse volebat *Salust. in Catil.* Ast Lacedæmonii Pausaniam, qui regnum spirare & elatius quàm libera civitas ferre posset, se gerere videbatur, non solum Scytalá do-

domum retraxerunt, sed & in æde Minervæ, quæ Chalcidæus dicebatur, clausere tectumq; sunt demoliti, quò facilius sub dio interiret *Corn. Nep. in Pausan.* Arminius quoq; ille Germaniæ liberator, cum regnum affectaret dolo propinqvorum, cecidit *Tac. 2. Annal.* Apud priscos Romanos patritii, ut Respubl maneret optimatum, Claudios, Manlios, Quintios, in summis magistratibus videre gestiebant, plebs Sicinios, Virginios obtrudere moliebatur. *Liv.*

XXXI.

Peregrini non temerè in Rempubl. & promiscuè recipiendi.

Magni facere magistratus debet sincerum atq; ab omni collusione peregrini ac servilis sangvinis in corruptum populum servare, proindeq; non temerè peregrinos civitate donare. Diversitas enim illa morum & affectionum periculosa esse civitati potest. Et sæpè, ubi peregrinorum est turba ibi turbo Reip. est, præsertim si ad officia illi provehantur aut divitiarum magnitudine antecellant, plerumq; quod locustæ segeti, id Reip. sunt peregrini; Civitatis fructum consumunt, difficulter nationum diversarum ingenia conveniunt, ideoq; in factiones populus scinditur atq; inde turbæ ac seditiones potissimum verò si quandòq; posthabitis incolis ipsi præferantur. Singularum Rerumpubl. mores hic servandi: Qui patrio more ac lege admittunt, illud caveant, nè peregrinorum numerus ac vires ultrà modum crescant. Qui non admittunt eà tamen humanitate legem suam temperent: ut cum aliqui religionis aut alterius rei honestæ causâ deserere patriam sunt coacti, benignè recipiant & in urbem suam salvis honorum ac magistratuum legibus admittant. *Vernul. lib. 2. Inst. Polit. tit. 11. c. 10.*

Th. XXXII.

Parva licet in Republ. si forte gliscant, non sunt contemnenda.

Cum Clemens posthumi Agrippæ servus formâ & ætate haud dissimili in dominum, cœptaret occultâ conjuratione

E

se.

editionem, Tiberium anceps cura distrahere, vine militum
servum suum coerceret, an inanem credulitatem tempore
ipso vaneſcere ſineret. Modò nihil ſpernendum modò non
omnia metuenda ambiguus pudoris ac metùs reputabat *Tac.*
2. Annal. Prævaluit tamen illud Nihil ſpernendum. Nam
Romam pertractum interfici juſſit. Quod niſi feciſſet di-
ſcordiis armisq; civilibus Rempublicam perculiſſet *Tac. ibid.*
Quamvis enim parva ſint, hæc tamen parva non contemnen-
do, majores noſtri maximam hanc rem fecerunt *Liv. lib. 7.*


Th. XXXIII.

Situs urbis ne cives diſjungat omnis mœ-
nium diſjunctio eſt vitanda.

Quin etiam unius fluminis aut vacuum ædificiis interval-
lum cives ab amicitia sæpè divellit. Ita q; Joſephus Mauri-
tanix ac Feſſarum princeps ex duobus oppidis intervallo à ſe
invicem diſjunctis unam eamq; maximam Feſſarum urbem
continuatæ ædificiis perfecit: in quo ſanè prudentiſſimi prin-
cipis laudem eſt aſſecutus: quia non ſolum ædes ædibus ac
mœnibus mœnia verum etiam animos civium incredibili o-
dio flagrantes ac perpetuis bellis diviſos amicitia ſempiternã
devinxit. Id ipſum quoq; Clazomeniis accidit, ut cum alte-
ra pars urbis in continente, altera pars eſſet in inſulã ſem-
per inſulaniſ cum cæteris civibus diſcordiæ ac bella interce-
debant, ut Athenienſibus qui in Piræo cum iis qui incole-
bant editiorem urbis locum, quem ipſi Aſtu vocabant, ram-
diu diſſidia ac diſſenſiones interceſſerunt, quo ad Pericles mu-
ris longiſſimis portum Urbi conjunxiſſet

Bodin. lib. 4. de Republ. c. 1.

DEO Honos & Gloria



00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm







28. 30

IO POLITICA

De

TIONUM

SPUBLICIS

REMEDIIIS,

vam

ominantium Domino

iorum datore, statore,

slatore

è adgubernante.

stis Philosophica Senatu

lectoralis Guttulanâ

robante.

ÆSIDIO

mi atq; Doctissimi,

PPERBEZNO!

J. U. C.

orum censura offert

S de SCHLIEBEN,

Marchic.

& R.

embr. in Acroaterio

rum Majori

nandam.

W

I KOCHI, Academ.

ographi.

M. DE. LI.